



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In  
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiæ  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Dispvtationes  
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

**Lugo, Juan de**

**Lugduni, 1653**

2. Proponuntur & dissoluuntur obiectiones contra conclusionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

# 126 I De mysterio Incarnationis,

*Concluditur proposita quae-  
sto.*

Facilius ergo, & conformius ad mentem sanctorum Patrum dicimus Deum post praeuisi-  
onem absolutam peccati decreuile Incarnationem Verbi in remedium peccati. An vero ex ori-  
ginali solū, an ex actualibus; item an ex pec-  
cato foliis Adæ, an ex illo ut deriuato etiam ad  
posteros: videbimus infra. Nunc disoluamus argu-  
menta, que fieri solent contra hanc communem sententiam; ex eorum enim solutione, ma-  
gna ex parte veritas conclusionis, & tota hec  
questio lucem accipiet.

## SECTIO II.

*Proponuntur, & disoluuntur obiectiones  
contra conclusionem.*

*Obiectio pri-  
ma ex Scri-  
ptura, & Pa-  
tribus, proba-  
tio prima.*

Suarez.

*8  
Soluitur.*

*9  
Probatio se-  
cunda.*

*10  
Dissoluitur.*

August.

*10  
Probatoria.*

**P**rima obiectio defumit ex Scriptura, & Pa-  
tribus, constituentibus Christum ut finem,  
cuius gratia Deus viuens condidit, & viuer-  
fa; ergo prior fuit in intentione diuina Christus,  
quam alij homines ergo prius fuit volitus, quam  
videretur peccatum. Antecedens probatur pri-  
mo ex illo Proverb. 8. *Dominus posedit me (vbi* Septuaginta legunt, *Dominus creauit me) in ini-  
to viarum suarum antequam quidquam faceret, a  
 principio. quæ verba licet de sapientia increata,* seu de Verbo aeterno Dei intelligentur; accipiuntur tamen communiter a Patribus de sapientia  
incarnata, seu de Christo Domino, quorum plu-  
res refert P. Suarez *disp. 5. sct. 2.* ergo Christus  
Dominus fuit volitus à Deo ante omnes alias  
creaturas, non quidem in exequitione, ut con-  
stat; ergo in intentione.

Respondetur facile cum P. Vasquez *disp. 1 o.  
c. 10.* in primis iuxta lectionem LXX. non haber-  
i, *in initio viarum suarum, sed, initium.* Item pro illis verbis, *antequam quidquam faceret, di-  
cunt, in opera sua, vel ad opera sua.* Itaque Patres,  
qui prædictum testimonium accipiunt de Christo,  
intelligent de Christo volito ad restauranda  
opera Dei. *Initium* item dicitur viarum Dei; non  
ordine causalitatis, sed excellenter, iuxta illud,  
quod de Behemoth dicitur Iob 40. *Ipse est prin-  
cipium viarum Dei, & de nobis dicitur Iacobi  
1. Voluntarie enim genuit nos Verbo veritatis, ut  
sumus initium aliquod creature eius, id est, prin-  
cipium habemus inter visibilis creaturas.*

Secundò probant ex illo ad Ephes. 1. *Elegit  
nos in ipso (id est, in Christo) ante mundi consti-  
tutionem.* que verba non solū significant elec-  
tionem Dei sive ab aeterno ante realem mundi  
existentiam; per hoc enim non multum commenda-  
retur gratia Dei erga electos; qui sane non potuerunt in tempore eligi, sed ab aeterno. ergo signifi-  
catur prioritatis rationis: quasi Deus dicat prius  
Christum voluisse ab aeterno ante realem mundi  
existentiam; postea propter electos mundi consti-  
tutionem decreuile. Respondetur, ibi solū  
significari prioritatem durationis; quasi dicat, an-  
tequam effemus, iam Deus nos elegerat; ut obiter  
iugulet errorem eorum, qui ponebant animas ab  
aeterno, ut notauit Augustinus adductus à glossa  
ibi, que in eo etiam scilicet explicat prædicta verba,  
dicens, electionem esse ante mundi constitutionem,  
quia est ab aeterno, licet eius effectus,  
scilicet nostra iustificatio, sit in tempore.

Tertiò adducit illud ad Hebr. 2. *Decebat enim  
propter quem omnia, antorem salutis, &c. & il-*

lud ad Colos. 1. *In ipso condita sunt omnia, & in  
ipso, & per ipsum creata sunt; & ipse ante omnia.*  
Ceterum haec loca accipienda sunt de Christo, non secundum naturam humanam, sed diuinam,  
ut ex contextu patet, vbi etiam per ipsum dicun-  
tur omnia facta, quod de Christo ut homine non  
potest intelligi. Adducunt etiam illud 1. ad Corin-  
th. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi,*  
*Christus autem Dei.* quasi dicat, Christus propter  
Deum, vos propter Christum conditi estis. Ve-  
rum facilis explicatur, ut sonat, nos debere esse  
coiscratos Christo, sicut Christus est Deo.

Quarto afferunt illud Ecclesiastici 24. *Ego ex-  
ore Altissimi prodii primogenita ante omnem Probatio  
creaturam, quem locum quamplurimi intelligunt quartu-  
de Christo; est ergo primogenitus, non tempore,* Ex 11  
*sed affectu & intentione ante alias creaturas. Re-  
spendetur etiam facile, esse primogenitum non  
ordine intentionis, sed dignitatis, & honoris, iuxta  
glossam ibi, quo etiam sensu dicitur Exod. 4. *Fi-  
lia mea primogenitus Israel,* id est, excellentia  
& nobilitate exaltatus super alios populos.*

Vides, haec loca non probare illud antecedens, scilicet Christum volitum ante alias creaturas. Ceterum adhuc, ut maiorem Christi dignitatem in hac etiam parte ad placitum aduleriariorum tueamur, addere possumus, Christum fuisse finem dilectum a Deo in creaturarum productione; seu ex affectu Christi aliquo modo cetera Deum voluisse; ad hoc enim non requiritur, decretum condendi mundum, v.g. processus ex intentione efficaci Incarnationis: sufficit processus ex affectu simplici circa Christum; sicut voluntas dandi nobis auxilia, oritur in Deo ex voluntate nostræ beatitudinis, non quidem semper ex intentione effecti beatitudinis, sed ex affectu aliquo, & hoc sensu est, ut dicatur Deus dare auxilia propter beatitudinem; & ut beatitudo dicatur finis intentus per vocaciones, & auxilia. Potuit ergo Deus prius complacere in Christo, & ex complacencia in ipso velle reliquias creaturas, quibus pararetur via ad gloriam Christi; ita ut Christus salem esset finis cui respectu omnium creaturarum, vel finis etiam cuius gratia aliquo modo, non quidem efficaciter, sed per simplicem affectum dilectus.

Dices, neque hoc modo potuisse Christum esse finem, ex cuius amore Deus permitteret peccatum Adæ; nam licet illa permissione conderetur ad maiorem Christi gloriam, hanc tamen non poterat Deus velle ex amore Christi, nisi volendo obiter peccatum, quod oportebat mediare ad illum Christi gloriam consequandam.

Respondeo, hoc probat, non potuisse Deum positiuè, (ut ita dicam) & direcè velle permittere peccatum propter Christum: potuit tamen id velle ex affectu erga Christum quasi indirectè, & remouente prohibens. Possumus enim considerare Deum pro illo signo videntem malitiam peccati sub conditione futuri, qua quidem retardabat Deum, ne permitteret illud; vidi tamen aliunde, malum illud non esse irreparabile, sed reparabile per Christum, & hoc quidem cum eximia Christi gloria, in qua, & in Christo sumo pere complebat Deus; & licet affectus erga Christum non mouerit Deum ad permittendum peccatum ut vtile ad Christi gloriam; conduxit tamen ille affectus erga Christum retardando affectum

Chrysost.

affectione diuinū odij erga peccatum, ne impedit  
ret eius permissionem, plus enim mōueret Deum  
ad impedientium peccatum eius malitia, nisi vi-  
deret, esse malum reparabile, & quidem cum  
maximo emolumēto, & in hoc sensu dixit Chry-  
stostomus (vel quicunque est ille auctor) homilia  
de Adam, & Eva, Deum permisit peccatum,  
quia praeuidit eius eximiam reparationem. Pre-  
uidit (inquit) per omnia Deus quanta habuit face-  
re bona de transgressione hominis, & ideo illam per-  
misit. Et in hoc etiam sensu dici solet, Deum non  
permittere mala, nisi ut inde habeat occasionem  
ad maiora bona; non quia Deus eligit directē  
permissionem mali ad obtainendum bonum, sed  
quia non reputat inconveniens sinere mala, quan-  
do ex eis datur occasio magni boni. Sic permittit  
peccatum ex affectu circa humilitatem, vel po-  
nitiam peccatoris, non ita ut permisso pecca-  
ti eligatur propriè, vt medium ad penitentiam;  
sed ita ut amor erga penitentiam, vel humilita-  
tem minutus vires peccati ad impediendum di-  
uinam permissionem. Sic etiam amor Dei erga  
Christum redemptorem, tanquam remouens  
prohibens, conduxit ad permissionem peccati,  
quod non permetteret Deus, nisi talem repara-  
tionem praeuidet. Ideo non dixi, Christum esse  
finem eorum omnium, quæ fecit Deus, sed esse  
quodammodo finem, quatenus ex affectu erga  
Christum ea omnia fecit; vel permisit Deus, quæ  
doctrina obseruanda est ad plura peccata quæ in  
Scriptura, & Patribus inueniuntur, permisit à  
Deo in ordine ad alios fines, vt venditio Iosephi  
ad eius exaltationem, odium Tyrannorum ad  
Martyrum victorias, &c. De hoc tamen latius  
dicimus in materia de prædestinatione circa il-  
lam quæstionem, an permisso peccati sit effectus  
prædestinationis.

14  
Hinc obiter infero, sicut Deus dicitur omnia  
condidisse ex complacencia in uno Christo, &  
ideo Christus dicitur finis creaturarum; ita cum  
proportione dici cetera omnia condidisse ex af-  
fectu erga Virginem Deiparum, atque adeò  
ipsam esse quodammodo finem creaturarum. Sic  
intelligendus est Bernardus serm. 3. in Salute, vbi  
sic ait: Et ut breviter concludā, de hac, & ob hanc  
& propter hanc omnis Scriptura facta est: propter  
hanc ratione mundus factus est. Videatur Suare  
2. tom. in 3. part. diff. 1. sect. 3. & Salazar, qui plu-  
ra Scriptura, & Patrum loca eruditè congruit in  
lib. de conceptione Virginis, cap. 3. Additum cum eadem  
proportione dici posse, Deum ex compla-  
centia in electis mundum condidisse; atque ideo  
electos ipsos esse quodammodo finem, propter  
quem cetera omnia facta sunt.

Secundo principaliter obiciunt nobis Ireneus lib. 3. cap. 3. dicentes; Cian præexistenter  
saluans, opribebat, quod & saluaretur, fieri, vt  
non vacuum sit saluans, ergo Christus fuit volitus  
ante alios homines.

Refpondeo, hoc testimonium etiam esse con-  
tra aduersarios, nam ipsi non admittunt, Christum, vt Salvatorem véturum, si homo non pec-  
caret. Loquitur ergo Ireneus, vel de Christo vo-  
lito prius per affectionem simplicem voluntatis anteceden-  
tis, vel melius de Christo, vt Deo, seu  
de ipso Verbo, quod erat formator omnium &  
potens omnes saluare, atque adeò Salvator quasi  
in actu primo.

Tertiò obiciunt Cyriillum lib. 5. Thesauri c. 8.  
vbi sic ait: Presfundatur ante nos Christus, & in  
ipso nos omnes superadiscimus, idque ante initium  
mundi in præsencia Dei, vt cum ordine diuino be-  
nedictio maledictione antecesserit, & damnationē  
in mortem vita pollicitatio, & fermitate Diaboli  
adoptionis libertas, possit naturahumana superaris  
malis, que interim acciderunt in pristina per gra-  
tiam Christi, qui fundauit eam in bonis) dignitatē  
recurrere. vbi videtur Cyrus ponere Christum  
prius volutū a Deo ante hominis lapsum, & præ-  
paratam à Deo medicinam ante ipsum morbum.

15  
16  
17  
18  
19  
14. 1. 2. 4. iuxta dicta accipiendum est, Christum  
esse primum fundamentum nostræ redem-  
ptionis à primo peccato, sed tamen adeò firmum;  
vt licet postea vtatur exemplo Architec-  
tū ponentis firmissimum fundamentum, vt si  
domus aliquando collabatur, possit facile repa-  
rari; ex quo infert, Christum positum esse fir-  
mum fundamentum nostrum, vt si caderemus  
peccato, possemus ex ipso rursus reparari. Ceter-  
rum hoc etiam, vt bene notauit Vaquez disput. Vaquez  
Obiectio ter-  
ria. Cyrill.  
Dilatatur.  
Obiectio  
quarta.  
Augult.  
Solutur.  
Obiectio  
quinta.  
Expediatur.

Quartò obiciunt Augustinum 1. de nuptiis  
cap. 2. dicentes, matrimonium in statu innocen-  
tiae futurum sacramentum, quod vocavit Paulus  
magnum in Christo, & in Ecclesia; ergo etiam  
non peccante homine veniret Christus.

Respondet Augustinus solum dicere, ma-  
trimonium tunc futurum vinculum viri, & fe-  
minæ, quod vinculum postea appellavit Paulus  
magnum sacramentum in Christo, & in Eccle-  
sia; non tamen dici futurum etiam tunc signum  
huius unionis Christi, & Ecclesie, licet homo  
non esset peccatus. Omitto alia leuiora testi-  
monia, quæ videri possunt apud Less. & Vafq.

Quintò obiciunt, qui vult ordinare, prius  
debet velle propria ad finem: sed Christus pro-  
prios accedit ad diuinam gloriam; ergo prius de-  
buit eligi, quæ creatio vniuersi.

Respondet distingendo maiorem; debet  
prius velle quæ sunt propria ordine causalitatis,  
concedo; quæ sunt propria ordine dignitatis,  
nego; potuit ergo Deus velle suam gloriam, quæ  
refulsa ex nostra beatitudine, & ad hoc velle  
statim nostram iustificationem, quæ est medium  
magis propinquum; postea Incarnationem, quæ  
licet sit perfectionis, est tamen medium remotum  
ad nostram salutem.

L 4 Dicunt,

*Instantia.**Remouetur.**Alia instantia.**Diluitur.**Obiectio sexta.**Difficillitatis.*

2.1

Dicunt, ergo Incarnatio fuit bonum occasionatum.

Respondeo, fuit occasionatum, id est, non volibile, nisi ex occasione peccati; sicut preuentia, nego; fuit occasionatum, id est, de facto non volitum, nisi occasione peccati, concedo; sic enim dicit Ecclesia, *O certe necessarium Ad peccatum, quod Christi morte delendum erat; quasi dicat alioquin nisi ex occasione peccati Christus non haberemus.*

Dices, Incarnatio secundum se perfectior erat, quam nostra falso; cur ergo non nisi propter nostram salutem eligerecur.

Respondeo, Deum posse id, quod perfectius est, ordinare ad aliquid minus perfectum: sicut etiam homo potest actum charitatis ordinare ad imperrandam calitatem: & quidem ad hoc suppetunt Deo innumerata motiva honesta.

Sexto obiectu, Christus fuit primus praedestinatus, & exemplar praedestinationis aliorum, ergo fuit praedestinatus ante praeuisum peccati, qui iam tunc erat praedestinatus Adam, & alii omnes.

Respondeo, admittendo Christum fuisse primum praedestinatum; quod quidem respectu aliorum omnium post Adamum, & Euam facile explicatus; suppono enim, ante praeuisum peccatum, non fuisse praesitos, aut volitos in particuliari posteros Adami hos, aut illos determinantes, ut videbimus sectione sequenti; sed solum voluntam in virtute, & in causa posteritatem Adami; non ergo erant praedestinati pro illo priori aliqui, & per consequens portavt bene Christus praedestinari in remedium peccati ante omnes alios. Difficilas potest esse respectu primorum Parentum; hi enim iam ante peccatum creati fuerant cum gratia habituali, quam etiam per propria merita auxerant illo tempore intermedio: qui omnes videntur fuisse effectus praedestinationis ipsorum, cum de facto conduxerint efficaciter ad eorum salutem, & datus sit illis gradus aliquis gloria correspondens illi gratiae, quam tunc habuerunt: quare non videtur negandum, fuisse illa specialia beneficia Dei orta ex peculiari benevolentia erga Adamum, & Euam, quibus praesiebat, per scientiam medianam profutura efficaciter ad salutem illa dona gratia habitualis, & actualis, scilicet auxilia congrua, que illis dabat. Cur enim minus dicemus data illa ex peculiari benevolentia, quam alia dona gratiae, que nunc dantur aliis praedestinatis, ab initio vite.

Adhuc tamen potest ex supradictis explicari, quomodo Christus fuit primus praedestinatus etiam respectu primorum parentum: diximus enim, mundum creatum fuisse à Deo ex speciali effectu erga Christum, non directe, sed indirecte, quatenus effectus erga bonum illud, quod resultare debebat ex aduentu Christi Redemptoris, temperavit malum, quod imminebat ex peccato futuro, si mundus crearetur; quare Deus, qui alias mundum non creasset, nec peccatum permetteret; prouidens tamen per scientiam medianam, gloriam Christi venturi in remedium peccati, creauit mundum, non tanti astimans illud malum, quod tam gloriosam habiturus esset reparationem: creauit ergo mundum (vt vidi mus) ex effectu erga Christum. nam effectus ille impediuit, ne odium peccati Deum remoueret

à mundi creatione: illa itaque ipsa creatio erat effectus praedestinationis Christi oriebatur enim saltem indirecte ex speciali effectu erga Christum, & quidem, licet illi effectus non esset formaliter voluntas absoluta de aduentu Christi, erat tamen virtualiter, & aequivalenter: quia nolle impedit peccatum immundus, eo quod prouideretur sub conditione peccati futurus Christus, erga quem Deus specialiter affectus, perinde se habet, quoad efficaciam, ac si esset voluntas absoluta circa Christum; tam infallibilem enim connexionem habet illa prior voluntas cum Christi aduentu, quam si esset absoluta formaliter, nam sicut velle dare Petro auxilium aliquod, quia prouideretur per scientiam medianam efficax, perinde se habet quoad infallibilitatem, & quoad benevolentiam, ac si Deus veller absolute Petrum bene operari, & ad hoc daret illi tale auxilium: si etiam velle non impedit mundum, aut peccatum, eo quod prouideretur sub conditione gloria Christi inde nascitura, erga quem Deus affectus, perinde se habet quoad infallibilitatem, & quoad benevolentiam, ac si Deus veller direcere aduentum Christi, licet non habeat eundem modum volendi, nec ea inconvenientia, que haberet illa voluntas directa, & formalis, vt videbimus latius in tractatu de praedestinatione: vbi etiam dicemus, praedestinationem etiam aliorum hominum, seu primum etiam effectum incipere aliquando à simili voluntate indirecta, qua Deus ex effectu speciali erga illum hominem non impedit eius creationem, vel latalem rerum ordinem, vnde prouideretur futura esse peccata, vel illius, vel etiam aliorum à quibus tamem peccatis occasionem habebit salus certissima ipsius: quod ergo ibi de multis aliis praedestinatis dicemus, postulumus etiam in praetenti de Christo, incepit felicitus eius praedestinationem ex voluntate illa, qua ex speciali effectu erga Christum indirecte mouente, & quasi remouente prohibens, noluit Deus impetrare creationem mundi, quam prouidebat per scientiam medianam daturam occasionem peccato, & aduentu Christi ad eius reparationem. Prius itaque Deus incepit operari ex speciali effectu erga Christum, quā ex speciali effectu erga Adamum, nam creatio ipsa mundi oriebatur ex speciali effectu erga Christum, & non erga Adamum, quia licet ipsi etiam Adamo futura erat virtus illa creatio mundi, potuit tamen Deus non attendere in illa mundi creatione specialiter ad Adamum, sed ad totum genus humanum: vt reserueretur Christo ille honor, quod scilicet ipse esset primus omnium specialiter dilectus à Deo. Post creatum vero mundum creauit Deus Adamum ex speciali eius amore, quo eum ad beatitudinem destinabat, denique post peccatum decrevit absoluere Christum, & propter eius merita restituit gratiam Adamo, reparauitque eius praedestinationem, qua per peccatum fuerat interrupta, & ceteros etiam elegit, ac praedestinavit, ita vt prima eorum electio fuerit post Christum, & per merita Christi.

Sed contra obiectum; ergo si Adam non peccasset, nullus aliud homo fuisset praedestinatus ex vi praesentis decreti; sicut haec est etiam vera: Si Adam non peccasset, Christus non veniret ex vi praesentis decreti. Sequela probatur, quia ex vi praesentis

presentis decreti solum praedestinatur homines ex meritis Christi redemptoris a peccatis.

Repondeo distinguendo illam propositionem, si Adam non peccasset, non fuisset aliquis praedestinatus ex vi presentis decreti formaliter, transeat ex vi presentis decreti virtualiter, & radicaliter, nego. nam de facto habuit Deus decreta beandi homines, si perseverarent in gratia, si autem Adam non peccasset, iam ipse Adam perseveraret in gratia; & per consequens haberet iam Deus aliud decretu[m] beandi illum. Item alij plures tunc perseverarent in gratia per auxilia ordinaria, circa quos deberet Deus haberet decretum beandi, & per consequens praedestinandi.

<sup>23</sup> Septimò obiciunt, quia gratia collata Adæ in statu innocentie fuit effectus praedestinationis Adæ; ergo ex meritis Christi; alioquin non meruit Christus Adæ praedestinationem, quod omnes effectus.

Respondeo, distinguendo consequens: non meruit omnes effectus quoad primam collationem, concedo; quoad reparationem, nego: nam hanc ipsam gratiam per peccatum perditam recuperauit Adam ex meritis Christi.

<sup>24</sup> Ultimò obiciunt Tridentinum *sess. 6. c. 7.* vbi numerans causas nostræ iustificationis dicit, causam finalē esse gloriam Dei, & Christi; ergo iuxta Concilium prior est Christus in diauina intentione, quam nostra iustificatio, sicut finis est prior, quam media.

Respondet facile (omissis aliis solutionibus) Concilium nō dicere, Incarnationem ipsam esse causam finalē nostræ iustificationis, & per consequens nec dicit, iustificationem fuisse medium ad Incarnationem, sed ad gloriam Christi, & quidem non ad gloriam animæ, vel corporis, quae reddit illum beatum; hac enim etiam erat independens à nostra iustificatione, sed ad gloriam accidentalem resultantem Christo ex nostra iustificatione. Sic ergo res se habuit, Deus ex affectu nostræ salutis voluit Incarnationem; postea prœiusta Incarnationem, & Christi meritis, propter ipsa vt propter merita, voluit nos iustificare, & hoc quidem tum ad utilitatem nostram, tum etiam propter gloriam accidentalem, que Christo resultat ex nostra salute. In quo non datur circulus; nam licet ad decretum Incarnationis præcedat simplex effectus nostræ salutis; ceterum ad decretum efficax nostræ salutis præcedit postea effectus etiā simplex erga Christi gloriam accidentalem. Omitto alias leuiores obiectiones, quæ facile ex supradictis dilui possunt. Vnam tamen non omittam, quæ contra hanc communem sententiam videtur fieri ex sententia eorum, qui B. Virginem à proximo debito contrahendi peccatum originale eximere conantur.

### S E C T I O III.

*An posse stare superior doctrina cum sententia negante in Virgine Deipara proximum debitum contrahendi peccatum originale.*

<sup>25</sup> Non est animus disputare nunc de illo punto, an B. Virgo contrarerit debitum proximum culpe originalis; in quo puncto senten-

tia negat hoc tempore à pluribus recepta est. De quo videlicet postulat P. Salaz. in defensione pro *Immaculata conceptione*, c. 8. P. Granado lib. de *conceptione Virginis*. Joannes Baptista Lezana Carmelita in lib. *Apologetic pro immaculata conceptione* c. 32. qui eam sententiam latè probant, & adducunt pro illa plures authores ex antiquioribus, & recentioribus, quibus adde P. Ludouicum de Ponte lib. 7. in *Canticis exhortatione* 20. §. 3. n. 5. nunc ergo solum agimus, an doctrina supra tradita possit cum ea sententia conciliari?

Ratio dubitandi est, quia Christus non fuit *præsumptum dif- futurus*, nisi post præiustum peccatum Adæ; ergo *fictitiatu* merita Christi non erant futura ante illud peccatum; ergo ex Christi meritis Virgo non potuit liberari ab illa communī labe; ergo licet postea potuerint merita Christi applicari pro Virgine, ne contraheret maculam originalem in instanti *Conceptionis*; non tamen potuerunt applicari ante Adæ peccatum ea merita, ut Virgo non in cluderetur cum aliis in eo pacto, & per consequens vt ex operatione Adæ non haberet debitum proximum contrahendi maculam, & carentia gratia sicut alij. Ut igitur hoc priuilegium immunitatis Virginis concedatur, necesse est asserere Christum præiustum futurum etiam ante ipsum Adæ peccatum, vt Scotus, & alij volebant.

Ne igitur ex hoc capite reddatur nostra sententia difficultis iis, qui illud priuilegium concedere volunt, oportebit, modum ostendere, quo utraque sententia conciliari possit.

Suppono autem hoc debitum proximum, <sup>26</sup> omisssis aliis eius declarationibus quas impugnare non vacat, in hoc differre à macula originale re ipsa contracta, quod debitum illud fuit peccatum Adæ quatenus moraliter censebatur peccatum actualē posteriorum; ipsi tamē posteri, quando re ipsa existunt, contrahunt maculam ipsius peccati, id est, incipiunt habere maculam habitualem ortam ex illo actuali, quod in suo parente commiserunt. Itaque sicut in peccato personali Petri datur culpa actualis, & habitualis, illa transit, hec permanet cum carentia gratiae: ita in primo peccato possumus hæc duo considerare, peccatum scilicet actualē, quod omnes admisimus in Adam, in quo moraliter continebantur omnes nostræ voluntates concurrentes ad illum actum: & rursus peccatum habitualē, quod in singulis manet, quando incipiunt existere. Ratione prima considerationis dicimus verè omnes in Adam peccasse; ratione secunde dicimus habere peccatum, & esse in peccato. Quando ergo negatur B. Virginem habuisse proximum debitum contrahendi originale; assertur Virgo non solum caruisse, quando existit in primo instanti macula habituali originali, sed etiam non peccasse in Adam, nec Virginis voluntatem fulle moraliter in voluntate Adæ cum voluntatibus posteriorum in ordine ad illam operationem. Totu[m] autem difficultas est tendit, vt explicemus, quomodo ex Christi meritis potuerit Virgo etiam ab illo peccato actuali eximi, & hoc ex Christi meritis, quæ tamen pro illo signo non videbantur futura.

P. Ferdinandus de Salazar in lib. de *conceptione Virginis* cap. 24. impugnat istam latè aliorum placitis, rem hanc sic componit, vt primò Deus decreuerit hominem, inquit homines non confusæ,

*Quomodo Virgo non contraheret debitum, & hoc habuerit ex Christi meritis.*

<sup>27</sup> *Sententia P. Salazari.*

sed